



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 128. Plura decreta perleguntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV. quam Concilii protectore. Post Missam
 A.C. 1415. de festo Assumptionis B. V. Mariæ ab E-
 piscopo Olotrensi decantatam, & absolu-
 tis precibus consuetis Sessioni initium da-
 batur a lectione Decreti jam antea con-
 diti, quo quatuor Episcoporum nomina-
 tio videlicet Pistoriensis, Vaurenſis, Pla-
 centini, & Sarisberienſis confirmabatur,
 hi cum aliis quatuor nationum Deputatis
 seligebantur, ut caussas, & querelas ad
 Synodum delatas exciperent, desuper us-
 que ad sententiam definitivam exclusi-
 ve iudicaturi. Alio decreto statuebatur,
 quod Concilii Bullis in omnibus caussis,
 atque negotiis, eadem fides, ac submissio
 habeatur, perinde ac Sedis Apostolicæ
 diplomatibus, & contravenientes, vel ha-
 sce Bullas adulterantes, aut in abusum
 trahentes, secundum rigorem Legis pu-
 niantur.

§. CXXVIII.

Plura alia decreta leguntur.

ibid p. 162. Insuper ordinavit Synodus, quod omnes
 literæ super omnibus & singulis gra-
 tiis per Joannem XXIII. a suo Ponti-
 ficatu usque ad ipsius suspensionem conces-
 sæ, debeant per Cardinalem Ostiensem Ec-
 clesiæ Vicecancellarium, & quatuor sibi
 adjunctos de quatuor Nationibus videlicet
 Episcopos Concordiensem pro Italica, Ari-
 minensem

minensem pro Gallica, & Theodoricum de Niem pro Germanica, Episcopum vero Sarrisberienssem pro Anglica, sub nomine & sigillo Synodi expediri, expectationibus, seu gratiis expectativis, ut vocant, aliisque exorbitantiis duntaxat exceptis. Tandem sex nominabantur Oratores, in Italiam mittendi, ut cum Gregorio ejusque Cardinalibus unionis Ecclesiæ negotium perficerent, in qua Legatione Principales Archiepiscopus Mediolanensis, & Ragusinus erant. Postea Sessio sequens ad vigesimam tertiam Septembris diem indicta est.

Sæcul. XV.
A.C.1415.

§. CXXIX.

Consultatio Synodi adversus Turcarum progressus.

Toto intermedio tempore in diversis negotiis pertractandis occupabantur Patres. Postero die Bertrandus Vacherius Carmelita & Theologiæ Professor Montispeffulanus Orationem habuit de necessitate reformandi Ecclesiam. Interim cum Turcæ Sigismundi absentiam in rem suam verterent, atque Hungariam atrociter devastarent, demum etiam Dalmatiam & Sclavoniam invadentes, omnia ferro, flammaque delerent, immo eodem crudelitatis impetu ad ipsas etiam Comitatus Cilleiensis, qui Sigismundi focer erat, ditiones, necnon ad Aquilejensium, &

Niem apud Vander Hardt to.2. p. 416.